

**05**

**A**

**1996**









Collegii  
 INSTITUTIONUM  
 DISPUTATIO VI.  
 De  
 USUCAPIONIBUS,

*Quam*  
 DEO adjuvante,  
 In Celeberrima *V*Wittebergensium Academia,  
 SUB PRÆSIDIO

*Viri Excellentissimi atq; Clarissimi*

Dn. CHRISTIANI *R*erembergk/

J.U.D. & Facultatis Juridicæ Adfessoris, Præ-  
 ceptoris & Favitoris sui plurimum honorandi,

*Tueri conabitur*

JOHAN FRIDRICH *à* Reideburgk/  
 Equ. Sil.

*Ad diem 22. Februarii horis, locoq;  
 consuetis.*

WITTEBERGÆ,

È Typographéo SALOMONIS AUERBACHII.

ANNO M DC XXVI.





05 A 1996





## Continuatio.

**H**Actenus, quomodo Jure gentium tanquam vetustiori, dominia rerum acquirantur, vidimus: restat, ut etiam modos Juris Civilis, inter quos primus est usucapio, pro instituti nostri ratione tractemus.

### THESIS I.

Ut autem more J. C. usitato (a) procedamus, primum de notatione videbimus. Dicitur itaque ab usu & capere; quod per (b) eam usu & possessione res capiatur.

(a) l. 1. §. & à genere 1. D. de offic. Questor. l. 1. §. 1. D. de pactis l. sponsalia, 2. D. de sponsal. cum simil. (b) l. 19. in pr. l. 23. §. 1. D. ex quib. causis major. in integr. l. 33. in pr. D. de Usucapionib. Hottomann. ad pr. h. num. 2.

### II.

Et est adjectio (a) Dominii (b) per continuationem possessionis (c) temporis (d) Lege definiti.

(a) Non enim in usucapione statim dominium adipiscimur, sed illud lapsu temporis accedit seu adjicitur, l. 3. D. de Usucap. VVesembec. in Paratitl. D. eod. n. 4. Donell. lib. 5. Comment. c. 5. Vultejus, lib. 1. Jurispr. Roman. c. 71. n. 2. (b) pleni sive directi. l. 3. D. d. tit. l. acquiritur. 10. §. 2. & §. f. D. de acquirend. rer. Domin. ut infra dicetur. (c) l. 3. l. 20. l. 31. §. 1. D. de Usucap. §. diutina. Inst. cod. (d) d. l. 3. ubi Dd. communiter.

### III.

Ex quo patet, quod fundamentum & caput usuca-



pionis sit (a) possessio, eaquē (b) continua, nec casu aliquo (c) interrupta.

(a) Usucapio enim sine possessione non procedit *l. 25. D. de Usucap. c. sine possessione. De regul. Juris in 6. l. 16. D. ex quibus causis maior.* Unde regula descendit, non plus praescriptum intelligitur, quam fuerit possessum, *l. 1. §. Julianus. ubi gloss. Bart. & Dd. commun. D. de itiner. actus privat. Donel. lib. 5. Comment. c. 6. in pr. Duaren. in L. f. C. in quibus causis in integr. restituit. necess. (b) l. 25. de usuc. l. sive possidetis. C. de probat.* Continuo autem possidere intelligitur non tantum, qui ipse possessioni incumbit, sed etiam is, cujus nomine alius est in possessione; veluti si rem meam alteri dem pignori *l. 33. §. 4. D. de usucap.* Sicuti nec requiritur, ut unus idemque continuo possideat, sed conjunguntur nonnunquam possessiones diversarum personarum, *§. diutina. 7. Inst. de usucap. l. Pomponius. 13. §. questum. 4. D. de acquir. possess.* Quod quidem olim diversum erat in singulari successore, emtore forsan. *d. l. 13. §. questum. l. 32. §. libertas 1. D. de servit. urban. praedior.* Hodie verò idem, quod in universalis admissum est, *§. inter venditorem. 8. Inst. de usucap. l. dolia. 76. in fin. D. de contrah. emtion.* Neque tamen ea propter cum illis facimus, qui possessionis continuationem in heredes, sive sint sui, sive extranei, ipso jure fieri concedunt, apprehensione enim & facto hominis opus est, *l. in usucapionibus. 15. D. de divers. & tempor. praescript. adeo, ut nulla possessio acquiri possit, nisi animo & corpore, l. 3. D. de acquir. possess.* ut rectè statuunt Viglius ad *§. 2. Inst. de hered. qualit. & different. Godeus ad l. 24. n. 18. D. de verb. signif. Borcholdt. in tract. de acquir. vel amitt. possess. c. 8. n. 26. (c) l. 2. C. de longi temp. praescript. qua de re infra.*

#### IV.

Causam efficientem quod attinet, ejus causa remota est, Lex (a) 12. tabb. multifariam postmodum (b) interpolata: Propinqua illi, qui & possidere & dominium acquirere possunt (c) sive suo sive alieno nomine.

(a) *Pr. Inst. de usucap. ubi Dd.* (b) Variis nimirum Principum constitutionibus *t. t. C. de longi temp. praescript.* (c) Veluti Paterfamilias,



miliās, filiusfamilias, & maximè miles in castris acquisitum. l. sequitur 4. §. 1. D. de usucap.

## V.

Unde etiam infans tutoris autoritate (a) interveniente, aut si ejus ætatis sit, ut intelligat, quid agat, sine tutore usucapere potest. Non item furiosus (b), quamvis usucapionem cæptam implere non prohibentur.

(a) Quia & possidere potest. Duaren. in Comm. D. de usucap. c. 4. Cum enim omnis possessio quæratur animo & corpore l. possidere. 3. §. 1. l. quemadmodum 8. l. peregrè. 44. §. 1. D. de acquir. possess. Utrumque hic intervenit: corpus nimirum infantis & animus tutoris l. quamvis. 32. §. infans. D. eod. (b) Furiosi enim nullus est animus, nulla voluntas. l. furiosi. D. de regul. juris. & absentis loco habetur. L. ubi non voce. §. fin. D. eod. l. 2. §. pen. D. de jure codicill. ut ita alterum requisitum deficiat. l. 4. §. furiosus. D. de usucapionibus.

## VI.

Materia sunt omnes res, quæ possideri & in dominio (a) nostro esse possunt; sive mobiles sint, sive (b) immobiles, Italica (c) sive provinciales differentia inter res mancipi & nec (d) mancipi sublata.

(a) §. movissime. 5. Inst. de usucap. l. ubi lex. 24. §. fin. D. eod. l. cum Prætor. 12. §. 2. & 3. D. de Public. in rem action. Vasquius lib. 2. Illustr. Controvers. 59. n. 58. & seq. (b) pr. Inst. de usucap. l. un. C. de usucap. transform. Unde credimus veram non esse sententiam eorum, qui usucapioni mobiles saltem res, præscriptioni verò immobiles subjiciendas esse arbitrantur. Usucapionem enim tam ad res mobiles quam immobiles referri patet, ex l. non solum. 33. §. si Dominus. §. si mihi. l. furtum. 37. D. de usucap. l. qui fundum 7. §. servus. & §. qui bona. D. pro emtor. maximè vero ex l. un. C. de usucap. transform. Duaren. in Comm. de Usucap. c. 1. & 5. Donell. lib. 5. Comment. 6. 4. Arumæus, Exerc. 6. Thes. 3. Præscriptio autem potius exceptio est ex tempore substantiam capiens. l. pen. & f. C. de except. l. 3. §. 1. D. de prævaric. quæ dominii jus non quidem tribuit, sed exceptione munit possessorem; & sic non est dominii, sed usus per diuturnam possessionem.



nem adquisitio. *Wesembec. in Parat. D. de usucap. n. 8. (c) pr. Inst. de usucap. ubi Giphon. Anton. Matthæi in notis, & Dd. §. per traditionem Inst. de rerum divis. (d) l. un. C. de usucap. transform.*

### VII.

Excipiuntur tamen quædam ob personarum privilegia, quod earum res vel omninò non præscribuntur, vel tempore, quam in aliis, ampliore.

*Dn. Vultejus lib. 1. Jurispr. Rom. c. 71. n. 52.*

### VIII.

Planè non usucapionem admittunt res (a) pupillares & (b) minorum, res (c) dotales, item illorum, qui legitimè impediuntur, quo minus agere possunt: & in summa non obicitur præscriptio his cum effectu, qui rescissa usucapione in integrum possunt restitui, puta (d) militi Reipub. (e) causâ absenti, ab hostibus (f) capto & similibus.

(a) Immobiles scilicet, & mobiles pretiosæ, aut quæ servando servari possunt; cum alienari nequeant. *l. 1. D. de rebus eor. qui sub tutel. vel cura. ideoque nec præscribi. l. 10. ubi Goth. D. quem adm. servitut. amitt. l. 3. C. de præscript. 30. annor. l. f. D. de usucap. pro emptor. Contra pupillos enim nec incipit nec currit præscriptio. Mynsing. respons. 11. n. 28. & respons. 42. n. 30. Wesembec. de usucap. in Paratitl. n. 10. (b) Nam licet in iis olim usucapioni & præscriptioni locus esset, nihilominus tamen restituebantur in integrum, t. r. C. si advers. usucap. Justinianus verò constituit, ne in posterum præscriptio ulla temporalis adversus minores curreret. *l. fin. C. In quibus causis restitut. in integr. non est necessaria. Cisnerus in. l. 4. §. si pupilli n. n. 8. D. de usucap. Nisi forte cum defuncto sit inchoata, ut Dd. monente Vultejo d. c. 71. n. 53. distinguunt. (c) l. 4. & l. 16. D. de fundo dotali l. in bonæ fidei: 48. D. de acquir. rerum domin. l. un. §. 15. C. de rei uxor. action. l. 3. C. de præscript. longi temp. nisi præscriptio antequam dotalis facta fuerit, inchoata sit. l. 39. §. f. D. de jure dotium. l. 2. §. si à domino. D. pro emptor. Vultejus d. loc. n. 54. (d) l. 1. l. 6. & l. 8. C. Quibus non obic. longi temp. præscript. (e) l. 2. & l. 4. C. eod. (f) l. 6. C. d. tit.**

9. Am-



Amplius tempus ad præscribendum requirunt res (a) Principum, quæ non nisi annis 40. res civitatis (b) Romanæ annis 100. aliarum verò annis 40. Res Ecclesiæ (c) Romanæ 100. reliquarum autem annis 40. præscribuntur; scilicet si sint ejusmodi, quæ temporales vocantur.

(a) t.t. C. ne rei dominic. l. omnes. C. de præscript. 30. vel. 40. annor.  
 (b) gloss. l. si finita 15. §. si de vectigali D. de damno infect. (c) Novell. 9. per totum? Quamvis non desint, qui hos annos putent mutatos in 40. per Novell. 141. quod annotavit Cujac. lib. 5. obs. 5. adde Vultejum d. c. 71. n. 57. & seq.

Ob qualitatem rerum quoque præscribi seu usucapi nequeunt res (a) sacræ & religiosæ, res (b) furtivæ mobiles, nec vi possessæ (c) immobiles: quæ ex rebus (d) furtivis aut vi possessis nascuntur, res testamento (e) vendi prohibitæ & similes.

(a) Sunt enim communione hominum exemptæ. §. aliquando. Inst. de usucap. l. 9. D. eod. l. 30. §. 1. D. de acquir. vel amitt. poss. l. 33. §. 5. D. de verb. oblig. & Divini Juris. Sacra enim profana fieri non debent. l. inter stipulantem. 83. §. sacram. 5. D. de verb. oblig. (b) §. furtiva. Inst. de usucap. l. 4. §. 6. l. 33. in pr. D. eod. l. 7. §. 3. D. pro emptore. l. 1. C. cod. Absurdum enim foret, res has contra voluntatem Domini amotas ad usucapionem proficere, vel ipsis illis, qui furtum admiserunt, vel aliis causam ab iis habentibus, Deinde res transit cum suo onere. Heigius ad §. furtiva. Inst. de usucap. n. 1. nisi vitium fuerit purgatum. d. §. ubi Dd. (c) l. 4. §. 22. & seqq. D. eod. l. 86. D. de furtis. l. fin. D. vi bonor. raptor. l. 48. D. de acquirend. rerum Domin. propter prohibitionem Legis Juliæ & Plautiæ, quo scil. rapinæ & invasiones violentæ coercerentur. Giphani ad. d. §. furtiva. (d) ut est partus ancillæ furtivæ, etiamsi prægnans surrepta sit, & apud bonæ fidei possessorem pepererit. l. 45. §. 5. D. de furtis. l. 11. §. 2. & seqq. D. de Publ. in rem action. l. 4. §. heres. D. de usucap. ubi Cujacius. Donell. lib. 5. Comment. c. 25. Partus verò conceptus & editus apud bonæ fidei possessore.



lessorum, furtivus non est. Quod non obtinet in foetu pecudis furtivæ. Nam etiam si apud furem ejusve hæredem sit concepta: tamen bonæ fidei sit emtoris, si apud eum nascatur, non tam usucapione quam fructuum jure, hoc est, ipsa perceptione, cum foetus sit in fructu, l. 4. §. lana. D. de usufruct. l. qui scit. 25. l. in pecudum. D. de usuris. l. bonæ fidei. 48. in pr. D. de acquirend. rerum domin. Godeus ad l. 20. D. de verb. signif. n. 12. (c) l. 2. C. pro emtore.

## XI.

Servitutes olim propter legem Scriboniam (a) usu non capiebantur: utilitatis tamen causa ex Prætoria (b) æquitate præscribebantur, & quasi Prætorix servitutes constituiebantur. Hodie longo tempore eas usucapi (c) certum est, nulla adhibita differentia inter (d) continuas & discontinuas.

(a) Ante eam enim servitutes usucapi poterant. l. 4. §. f. D. de usucap. Hottoman. libr. 4. obs. 2. (b) l. si quis diuturno 10. si servit. vindicet. l. 1. in f. D. de aqua & apua pluv. arcend. l. 1. in f. D. de superfic. l. 2. C. de servitut. & aqua. (c) L. f. C. de præscript. long. temp. l. 2. & l. pen. C. de servitut. & aqua. l. pen. C. de præscript. 30. vel 40. annor. Donell. libr. 11. Comment. c. 11. Vesembec. in Parat. D. de servitut. n. 5. (d) Quia ad præscriptionem servitutis non requiritur, ut usus sit continuus, sed ut causam habeat continuam & perpetuam. l. foramen. D. de servitut. urban. prædior. Deinde etiam Justinianus in l. un. C. de usucap. transform. generaliter loquitur & non distinguit. Duarenus lib. 1. disputat. annivers. c. 34. Cujac. Cisnerus in l. 4. §. f. n. 9. D. de usucap. Fachineus libr. 8. Controvers. c. 22. Adde Vesembec. d. loco. n. 5. circa finem.

## XII.

Res meræ facultatis quod spectat, putamus, non aliter præscriptionem (a) rectè eis objici, nisi prohibitioni interpositæ, qui meram facultatem habet, per legitimum tempus (b) patienter acquieverit.

(a) Ut etiam si aliqui per 100. vel plures annos iverint ad molendum in mola alicujus, vel ad coquendum panes in furno alterius, tamen Dominus molendini vel furni non potest eos cogere, ut deinceps quoque ibidem molant & coquant. Cæpoll. in tract.



*tract. de servit. urb. in. pred. c. 2. n. 2. Schneidvin. de feudis. p. 2. n. 53 & seq. Vvesembec. cons. 34. & cons. 67. Köppen in decis. Juris, quest. 19. n. 6. (b) Borchold. in c. un. n. 37. Quæ sint regal.*

### XIII.

Unde Juri (a) reluendi pignoris, uti & pacti de retro vendendo, (b) ne quidem tempore longissimo, præscribi non potest.

(a) Quia, ut mox dicetur, ad rem aliquam præscribendam non solum justus titulus, sed & bona fides requiritur; quo utroque destituitur creditor, pignoris enim titulus non est dominii translationis. *l. 14. §. 2. D. Qui satis dat cogant l. 12. in pr. D. de distract. pignor.* Neque etiam ulla bona fides possidentis pignus esse potest, dum se rem alienam possidere non ignoret. Quæ sententia uti verissima est, ita supremo camerae Imperialis Judicio est confirmata. *Mynsing. cent. 1. obs. 16. Geil. lib. 2. Pract. obs. 18. n. 4. Cujac. in Paratitl. C. de præscript. 30. & 40. annor. Donell. lib. 5. Comment. c. 5. Borchold. in tract. de Usuris, c. 6. n. 11. Fachin. lib. 2. contro. c. 13. (b) Est enim similiter in mala fide, ideoque nunquam præscribit. c. f. Extr. de præscript. cum suæ promissionis & obligationis non sit ignarus. Mynsing. d. cent. 1. obs. 16. & 6. obs. 70. n. 21. Geil. lib. 2. obs. Pract. 2. n. 4. & obs. 18. Borchold. in d. tract. de usuris. c. 6. n. pen. & ult. Cujac. n. l. pignori rem acceptam. 13. D. de usucap. Fachin. libr. 2. controvers. c. 13. Hoenon. disp. 6. Thes. 14.*

### XIV.

Quantum verò formam spectat, consistit illa in possessione, eaque continua, de quibus (a) supra dictum, per tempus à Lege definitum. Et quidem justa, quam justus (b) titulus & bona fides efficit.

(a) Vide supra thesin secundam. (b) *pr. Inst. de usucap. ubi D. de communi. Donell. 5. lib. Comment. c. 14. Mynsing. decad. 1. resp. 4. n. 22.*

### XV.

Titulum vocamus causam possidendi, justificandæque possessionis ad transferendum dominium idoneam,

B

neam,



neam, qua defenditur cujusque possessio ab oppugnatione adversarii:

*Ita Heigius ad pr. Inst. de Usucap. n. 25. per l. Celsus. 27. D. pro solut. l. 24. C. de rei vindicat. Et quidem in præscriptionibus longi temporis cum requiri tam civili, quam Canonico jure vulgo receptum est. Duaren. lib. 1. disput. c. 34. Etiam in servitute usucapienda, propter generalem regulam in d. l. nullo. 24. C. de rei vindic. l. diutina. 4. C. de præscript. longi temp. l. f. C. de præscript. longi temp. ubi ab initio justum requiritur initium, quod absque titulo vix est, ut procedat. Corras. in l. 4. D. de servitut. n. 30. & seqq. Duaren. ad l. si diuturno. 10. D. eod. & d. libr. 1. disp. c. 34. Nec refert, an specialis sit, veluti pro Herede. t. t. D. pro hered. etiam suo. l. pen. & f. D. pro hered. l. 2. §. filium. eod. His enim optimè convenit titulus pro herede; cum proprii & veri heredes sint. §. sui autem. Inst. de hered. qualit. & differ. Cujac. ad d. l. 2. D. pro hered. Borchold. in tract. de acquirend. possess. c. 6. n. 8. Fachineus lib. 6. Controvers. c. 11. pro emtore, t. t. D. & C. pro emtor. pro donato. t. t. D. & C. pro Donato. pro legato. l. 4. pen. & f. D. pro leg. vel generalis, ut pro suo. l. 1. 2. & t. t. D. pro suo. modò alius specialis præcedat. Nihilque minus, utrum lucrativus, uti donationis, legatorum. l. Julianus. 13. §. si fundum. D. de action. emti. §. si res Inst. de legat. an verò onerosus sit, puta emtionis, per mutationis. Zasius ad §. Item si quis, Inst. de action.*

## XVI.

In præscriptione tamen 30. vel 40. annorum, item centenaria, sive immemoriali, neque Jure (a) Civili, neque (b) Canonico, neque etiam (c) Saxonico titulo opus est.

(a) *l. sicut. 3. l. omnes. 4. l. 7. l. fin. C. de præscript. 30. vel 40. annor. Myns. cent. 1. obs. 30. Treutler. vol. 2. disp. 22. Thes. 5. in fine. (b) c. placuit. §. placuit. 16. quæst. 5. cap. de quarta. 4. c. ad aures. 6. & c. 8. de præscript. c. 1. eod. in 6. (c) VVesemb. p. 1. conf. 5. n. 19. Maximè in immemoriali, ut quæ habet vim privilegii & concessionis. c. super quibusdam. §. præterea. de verb. signif. & vicem legis obtinet. l. 1. §. f. cum l. seq. D. de aqua pluvia arcend. ideoque titulum supplet. l. 3. §. 4. D. de aqua cotid. & æstiva. Myns. d. loc. Covarruv. lib. 1. Var. Resol. c. 17. Fachineus lib. 8. Controvers. c. 33.*



## XVII.

Titulum comitatur (a) bona fides, sicuti lepra leprosum: quæ nihil est aliud, quam ignorantia (b) rei alienæ; adeò, ut is, qui anceps animi hæret, jurisque sui incertus (c) dubitat, pro bonæ fidei possessore non sit habendus.

(a) *pr. Inst. de usucap. l. 10. l. 15. §. si quis bona. l. 27. l. 48. D. de usucap. l. 2. in pr. D. pro emptor. l. un. C. de usucap. transform.* Bona enim fides à justo titulo vix ac ne vix quidem separari potest. *l. 11. §. 1. cum duabus ll. seqq. D. de petit. heredit. l. nunquam. 31. D. de acquirend. rer. domin. ita ut de deficiente titulo bona fides non præsumatur. l. f. C. unde vi. ubi dicitur, omnes scire debent, quod suum non est, hoc ad alios omnibus modis pertinere. Peckius in c. possess. n. 7. de regul. Juris in 6. Fachineus lib. 8. Contro. c. 32.* (b) *l. bonæ fidei 109. D. de verb. signif. Balbus in tract. de prescript. p. 2. quest. 1.* ut si quis existimat, se vel cum ipso Domino contrahere, vel ab eo rem traditam accipere, quem aut rei dominum fuisse, aut jus alienandi habuisse opinatur. *l. si existimas. 48. D. de usucap. & usurp. d. l. bonæ fidei. 109. ubi Godeus l. quæsumq. 13. §. f. D. de Publician. in rem action. Dd. communi. ad §. si quis à non Domino. Inst. de rerum divis. n. 48.* (c) *l. 22. §. 1. D. de usucap.* Bona enim & mala fides sunt contraria. *Dynus ad c. possess. de regul. Juris in 6. nec medium recipiunt. Qui igitur dubitat, bonam fidem, quæ est illa rei alienæ scientia, non habet: Ergò. Godeus ad d. l. 109. n. 3. D. de verb. signif.*

## XVIII.

Hanc tamen bonam fidem sufficit ab initio intervenisse. Postea enim superveniens sive sit res mobilis sive (a) immobilis mala fides usucapionem irritam (b) non constituit: sed de Jure Civili.

(a) *l. 2. in pr. l. pen. D. pro emptor. l. 10. in pr. l. 4. §. de illo. l. si is qui. 15. §. pen. l. 16. l. 18. l. justo. 44. §. 1. & §. 4. D. de usucap. qui textus generaliter loquuntur.* (b) *d. l. 4. §. 18. D. cod. l. bonæ fidei. 48. §. in contrarium. D. de acquir. rerum domin. l. un. C. de usucap. transform.* ibi ab initio & paulò post forsitan ex scientia rei alienæ. *Cujacius ad l. 10. D. de usucap. Forster. p. 1. tract. Inst. disp. 9. thes. 6.* (c) De Jure enim Canonico bona fi-



des non tantum ab initio, sed etiam circa medium & finem adesse debet; adeò nec longissimum quidem tempus allegans (modo de mala fide certò constet) cum mala fide præscribat. *c. f. de præscript. c. possess. 2. de regul. Juris in 6. ubi Dd.*

### XIX.

Tempus denique quod in usucapione requiritur, olim ex LL. 12. tabb. in mobilibus annus, & in immobilibus (a) biennium fuit. Hodie autem in rebus mobilibus triennium est in immobilibus vero inter (b) præsentibus decennium, inter absentes vicennium (c) continuum.

(a) *l. un. C. de usucap. transform. l. f. C. de præscript. longi temp. pr. Inst. de usucap. ubi Dd.* (b) Præsentibus Jus Civile æstimat eos, qui ex eadem provincia, non tantum qui ex eadem civitate sunt. *Conan. lib. 3. Comment. c. 14. n. 9.* Hodiernis verò moribus turbatis provinciarum limitibus, & diversorum magistratuum jurisdictioni subjectis, non incommodi præsentibus dicuntur illi, qui sunt sub eadem præfectura, seu qui eundem habent Judicem. *gloss. & Dd. communiter in l. f. C. de longi temp. præscript.* Absentes verò, qui in confinio duarum provinciarum seu præfecturarum degunt. *Obrecht. disp. 26. thes. 270.*

### XX.

His addendæ sunt præscriptio (a) 30. annorum, quadragenalis (b) centenaria, (c) immemorialis, & similes, Jus tamen Saxonicum duas saltem agnoscit species, annalem (d) & (e) tricennalem.

(a) Jure Pandectarum incognita, & ab Imperatoribus primum introducta, quæ longissimi temporis dicitur, quæque præscribuntur res immobiles & actiones personales. *l. 3. l. 4. C. de præscript. 30. annor. l. 1. §. ad her. C. de annal. except.* (b) quæ Ecclesiastica vel Ecclesiæ bona temporalia & similia præscribit. *Auth. Quas actiones. C. de Sacrosanct. Eccles.* (c) quæ præscribuntur res Ecclesiæ Romanæ. *l. 23. C. d. SS. Eccles. Novell. 9.* Principum ut supra dictum. (d) qua res mobiles spacio unius anni & sex septimanarum usu-  
capione



capione acquirentur. (e) qua immobilia & Jura incorporalia 30. annis cum anno & die præscribuntur. p. 2. const. 6. ubi Moller. in Comment. Coler. in tract. de process. Execut. p. 1. c. 3. Quæ tamen præscriptio contra Ecclesias, Xenodochia & alia pia loca non currit: nec in actionibus arctiori tempore circumscriptis obtinet. Heigius p. 1. quest. 16.

## X XI.

Finalis causa usucapionis est bonum (a) publicum, ne scilicet quarundam rerum diu & ferè incerta (b) sint dominia, & ut aliquando litium (c) finis constituantur.

(a) Ita enim ob bonum publicum Lex statuit, tum favore præscribentis bona fide tum in odium negligentis jus suum tempestivè prosequi. c. præscript. 16. quest. 3. Bart. in l. 1. D. de usucapion. & in L. nemo potest. 55. D. de Legat. 1. Dynus in c. possessor. de regul. Juris in 6. Tiraquell. in Tract. præscript. §. 1. gloss. 7. §. fin. Vvesembec. in Paratitl. D. de usucap. n. 13. in fine. Unde licet damnum privatis quibusdam negligentibus oriatur: commodum tamen ad plures redit, & Reipub. tranquillitati consulitur, cui privata utilitas cedere meritò debet. l. 1. D. solut. matrimon. l. un. §. fin. C. d. caduc. tollend. salus enim populi Lex suprema est. (b) pr. Inst. de usucap. l. 1. D. eod. quæ incertitudo impediret rerum culturam & curam. Donell. lib. 5. Comment. c. 30. (c) l. f. D. pro suo. Id quod publicè interest. c. nonnulli. 28. §. pen. Ext. de rescript. Vvesemb. ad princip. de usucap. n. 13. Vultejus, lib. 1. Jurispr. Roman. c. 71. n. 6.

## X XII.

Effectum quod spectat, usucapio directum (a) ut vocatur, seu plenum dominium parit: adeo ut is & adversus agentes munitus sit exceptione præscriptionis, quæ est litis (b) finitæ, impeditque (c) contestationem, ut ipsam rem ab antiquo Domino (d) vindicare etiam possit. Et ut maximè post præscriptionem superveniat scientia, quod ista bona fuerint aliena, salva tamen conscientia ea (e) retinere potest.



(a) *l. deniq; 13. cum l. seq; D. Ex quibus causis major. l. Julianus 17. D. de rei vindicat. l. omnes. 4. C. de prescript. 30. & 40. annor.* Quia usucapio est adjectio domini. *l. 3. D. de usucap.* Quodlibet autem verbum in potentiori significatu accipitur. *l. 3. de tutel.* Daturque ei in rem actio, uti paulò post dicentur, directa; quæ non competit nisi ei qui plenum habet rei dominium. *l. in rem 23. D. de rei vindicat. l. actionum 25. D. de oblig. & action. §. namq; 4. ubi D. Inst. de action.* Idque tam de rebus immobilibus quam mobilibus verum esse dicit, *Fachineus lib. 1. Controv. c. 70. Pinell. in auth. nisi n. 36. C. de bonis matern.*  
 (b) *Socin. latè in c. olim. n. 19. De litis contest. Guido Papa, decis. 416. n. 5.*  
 (c) *c. 3. de litis contest. in 6. Dd. in l. f. D. pro suo.* (d) *l. si quis emtionis. 8. in pr. C. de prescript. 30. annor.* (e) Quia qui bona fide præscripsit, jam dominium rei alienæ acquisivit; ideoque eam alteri restituere non tenetur. Imò justè possidet, qui legis autoritate possidet. *l. justè, ii. D. de acquir. possess. nec peccat, qui Legis autoritate peccat. l. Gracchus. C. ad L. Juliam de adulter.* Lex enim civilis autoritate divina condita est, *c. quo jure dist. 8. c. 2. de major. & obedient. juxta illud proverb. c. 8. vers. 9. ubi dicitur, per me Reges regnant, & conditores Legum decernunt justitiam. Adde Decian. in Pract. crimin. lib. 2. c. 12. n. 5.*

### XXIII.

Contraria potiora denique sunt interruptio, quæceptæ usucapionis continuatio (a) interpellatur. Et fit vel naturaliter (b) vel (c) civiliter.

(a) *l. nemo. 10. C. de acquir. possess. Vvesembec. in Paratitl. D. de usurp. & usucap.* (b) Quando possessio naturali aliquo facto & re ipsa interruptitur forte, si res corporalis nobis auferatur, vel de possessione rei immobilis dejiciamur. *l. naturaliter 5. D. de usucap. l. 16. D. de acquirend. possess. Robert. lib. 2. lectio. 31.* sicuti & quasi possessio servitutum naturaliter interruptitur durch die pfändung in hisce terris. *p. 2. Const. Electoral. 7.* (c) Scilicet subtilitate & autoritate Juris, id quod ante Justinianum litis contestatio sola facere potuit. *l. nemo 10. C. de acquir. possess.* ipse verò postea ad denunciationem judicialem, aut si ea haberi nequeat, etiam extra judicialem, testatò tamen factum extendendum censuit. *l. 2. C. de annal.*



nal. excep. Auth. male fidei. C. de præscript. longi temp. Geil. libr. 1. Obs. Præ-  
ctio. 74. n. 40. & seq. Vaudus lib. 2. Quæst. 3. Connanus libr. 3. Comment. c. 14.  
Donell. lib. 5. Comment. c. 21.

#### XXIV.

Usucapionem quoque impletam restitutio in in-  
tegrum (a) plenè resolvit, sive à majore sive à minori  
sit, ex justa causa impetrata. Unde fortè non inconcin-  
nè quæritur, num ignorantia ejus, contra quem præ-  
scriptum est, restitutionem mereatur? quod (b) negan-  
dum putamus.

(a) l. un. & ibi gloss. C. si advers. usucap. l. 1. §. f. D. Ex quibus causis major  
in integr. restit. Quæ restitutio adversus præscriptionem intra qua-  
driennium competit. l. f. C. de tempor. in integr. restit. Trentacinq. 2.  
Var. Resolut. de restitut. in integr. resol. 4. n. 17. & seqq. (b) l. f. ibi vel igno-  
rantia C. de præscripti longi temp. l. un. C. de usucap. transform. Deinde  
hoc esset contra finem usucapionum. l. f. D. pro suo. l. 1. D. de usucap.  
& jura præscriptionum tollerentur. Contra bonum publicum,  
pro quo usucapiones sunt introductæ, ubi restitutio locum non  
habet. VVesemb. in Paratitl. D. ex quibus causis majores Pinell. in Auth.  
nisi. C. de bonis matern. n. 58. Fachineus lib. 1. Controv. c. 69. Quam etiam  
sententiam probavit D. Elector noster Saxonix p. 2. Const. 9. ibiq;  
Moller. Quamvis Dn. Zangerus in tract. de Except. p. 3. c. 10. n. 227.  
fateatur, communem opinionem in contrarium esse, quæ in foro  
frequenterur, eamque Dicasterium extra provinciam Dni.  
Electoris Saxonix pronuncianda tenuisse, qui  
videatur.

DEO SIT LAUS.





Ullacianum in quodam imperium referunt in in-  
regnum (a) plane resolvit, tunc a majori tunc a minori  
sic ex iustis causis imperata. Et hoc forte non inconcin-  
ne dicitur, cum ignoratis eius, contra quem pra-  
scriptum est, tunc imperium metentis quod (b) negin-  
dum dicitur.

(a) In iustis causis, sicut in S. D. Examinanda, non  
improvisum. Quod si non a iustis imperationibus, sed  
distantiam compertit, C. de tempore, in iustis causis, Tenentur a  
V. R. Imperium, sicut in iustis, resol. + iust. de tempore. (b) I. f. iust. pro-  
xime, C. de praescriptis longi tempore, l. un. C. de iustis, in iustis. Deinde  
hoc esse contra iustitiam imperium. Et si pro iustis, l. D. de iustis.  
Et iura praescriptio non tollitur. Contra bonum publicum  
pro quo imperationes sunt introductae, ubi restrictio locum non  
habet. Vnde in iustis, D. ex parte capite imperium, l. iust. in iustis.  
Ist. C. de bonis imperium, l. 18. factum in iustis, C. de iustis, l. 18.  
Iustitiam probavit, D. Elector auctor Saxoniae, p. 2, Cass. p. 18. §.  
Moller, Quibus D. Angerus in tract. de Electore, p. 1, c. 10, n. 227.  
factum, commentum opinionem in contrarium esse, quae in foro  
reducitur, eandem Dictionem ex iura provinciam Da-  
Electoris Saxoniae pronuntianda tenisse, qui  
videtur.

DEO SIT LAUS






05 A 1996

ULB Halle

3

003 785 610




VD17











Collegii  
INSTITUTIONUM  
DISPUTATIO VI.  
De  
**USUCAPIONIBUS,**

*Quam*  
DEO adjuvante,  
*In Celeberrima VVittebergensium Academia,*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Excellentissimi atq; Clarissimi*

**Dn. CHRISTIANI Rembergk/**

J.U.D. & Facultatis Juridicæ Adfessoris, Præ-  
ceptoris & Favitoris sui plurimum honorandi,

*Tueri conabitur*

**JOHAN FRIDRICH â Reideburgk/**  
Equ. Sil.

*Ad diem 22. Februarii horis, locoq;  
consuetis.*

WITTEBERGÆ,

in Typographæo SALOMONIS AUERBACHII.

ANNO M DC XXVI.